

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6382

Auteur(s) : Grégoire IX [pape]

Bénéficiaire(s) : Rouen, Saint-Lô (prieuré)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1228, 17 août

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Bulle de Grégoire IX qui confirme plusieurs donations et privilèges.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. De Glanville Léonce, *Histoire du Prieuré de Saint-Lô de Rouen*, ses prieurs, ses privilèges, ses revenus d'après les documents authentiques tirés des archives de la Seine-Inférieure et mis en ordre, Rouen, E. Cagniard, 1890-1891, 2 vol., t. 2, pièces justificatives, n° XXXXV, 363-366.

Texte établi d'après a

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Joanni priori ecclesie Sancti Laudi Rothomagensis eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regulariter substituendis. Quotiens a nobis petitur quod religioni et honestati convenire dinoscitur animo nos decet libenti concedere et petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus et ecclesiam Sancti Laudi Rothomag. in quo divino estis obsequio mancipati sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus qui secundum Deum et beati Augustini regulam in eodem loco institutus esse dinoscitur perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones quecumque bona eadem ecclesia impresentiarum juste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis prestante domino poterit adipisci firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo prefata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis, villam que dicitur Brealtare cum ecclesia et decimis totius parrochie. et forum in eadem villa quod concessit rex Anglorum cum consuetudinibus quas habent alia Fora in Normannia et feodum quod tenebat Guillelmus de Brealtare et Guillelmus de Roumara. Villam Arclou cum ecclesia et molendino. Unam prebendam in Bordeneio cum ecclesia et molendino et duas partes decime quas tenebat Symon de Bordeneio in dominio suo in eadem parrochia. Ecclesiam de Blovilla cum decimis. Ecclesiam de Mesnillo Enardi cum decimis. Decimas de Aqua pluta et de Escura. medietatem ecclesie de Agon et cimeterii cum medietate decime totius parrochie. et totam ecclesiam Sancti Ioannis de Rothomago. et decimas de feodo episcopi Baiocensis in Rothomago. Ecclesiam sancte marie de Temericuria. Ecclesiam sancti Martini de Wadencuria. et ecclesiam sancte Marie de Cresseio cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam sancte Marie de Raphetot. Ecclesiam Sancte Elene de Frobervilla. Ecclesiam de Crikebove. Ecclesiam sancte Marie de Castineio. et ecclesiam Sancte Columbe cum omnibus pertinentiis earumdem. In festivitate Sancti Laudi de dominio Normannie unum cervum et sex solidos in moneta. Unum aprum in festivitate Sancti Rumpharii, et decimas quasdam in Rothomago, salvo super decimis moderamine consilii generalis, sane novalium vestrorum que propriis manibus vel sumptibus colitis sive de vestrorum animalium

nutrimentis nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in ecclesia vestra professionem fas sit sine prioris sui licentia de eadem ecclesia nisi artioris religionis obtentu discedere discedentem vero absque communium litterarum vestrarum emissionem nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terre fuerit liceat vobis, clausis januis exclusis excommunicatis et interdictis non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare dummodo causam non dederitis interdicto. Crisma vero oleum sanctum consecrationis altarium seu basilicarum ordinationes clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi a diocesano suscipietis episcopo siquidem catholicus fuerit et gratiam atque communionem sacrosancte sedis Romane habuerit et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus ut eorum devotioni et extreme voluntati qui se illic sepeliri declaraverint nisi forte excommunicati vel interdicti suis vel publice usurarii nullus absistat, salva tamen iustitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero se nunc eiusdem loci priore vel suorum quolibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur. nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars maioris et sanioris consilii secundum Deum et beati Augustini regulam providerint eligendum. Paci quoque et tranquillitati vestre paterna in posterum sollicitudine providere volentes auctoritate apostolica prohibemus ut infra claufulas locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere ignem apponere sanguinem fundere hominem temere capere vel interficere seu violentiam audeat exercere. Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus ecclesie vestre concessas necnon libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti privilegio communimus. Decrevimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare. aut eius possessiones auferre. vel ablatas retinere. minuere. seu quibuslibet vexationibus fatigare. sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura salva sedis apostolice auctoritate. et diocesani episcopi iusticia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate. reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat. atque in extremo examine districta subiaceat ultioni. Cunctis autem eisdem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenus et hic fructum bone actionis percipiant. et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Datum Perusii per manum magistri Martini Sancte Romane ecclesie vicecancellarii. XVI Kal. septembris indictione II, incarnationis dominice anno m°. cc°. XXVIII°. pontificatus vero domini Gregorii pape VIII° anno secundo.

EGO GREGORIUS CATHOLICE ECCLESIE EPISCOPUS

Ego Thomas tituli Sancte Sabine presbiter cardinalis.

Ego Bartholomeus Sancte Pudentiane presbiter cardinalis.

Ego Sigenbaldus tituli S. Laurentii in Lucina presbiter cardinalis.

Ego Pelangius Albanensis episcopus.

Ego Octavianus sanctorum (déchiré) et Bachi diaconus cardinalis.

Ego Rainerius Ste Marie in Cosmedin.

Ego Stephanus S. Adriani diaconus.

Ego Petrus S. Georgii ad (déchiré).

Ego Rainaldus (déchiré).

Ego Oto S. Nicholai in carcere Tullian. diaconus cardinalis.